

CAP. IX.

*De instructione Ministri Ecclesiæ
circa confessionem & absolutionem.*

§. I.

Cum agendum hic sit de officio Ministri Ecclesiæ circa Confessionem, notandum, quod licet variæ sint confessiones peccatorum, tamen hoc loco sermo sit tantum de confessione, quæ fit coram Ministro Ecclesiæ, maximè ante usum Sacrae Cœnæ, & quæ ei respondet, absolutione privatâ, quæ in nostris Ecclesiis recepta est. De hac igitur sequentia Præcepta observanda sunt.

§. 2. Præceptum. I. Minister Ecclesiæ caveat sibi, ne manifestò impium & impœnitentem ac pertinacem peccatorem, qui scandalose in cœtu Ecclesiastico vixit, ad confessionem admittat, eique absolutionem impertiatur: hac enim facilitate absolutionis Minister Ecclesiæ se participem reddit alienorum peccatorum, scilicet ut impœnitens in peccatis perseveret.

§. 3. Si igitur Ecclesiæ minister talem impœnitentem inter Auditores certo novit, gradus admonitionis adhibeat, ante confessionem eum ad se accersat, peccata continuata ei ob oculos ponat, exaggeret, & periculum salutis ei monstrat, atque serio ad veram contritionem & pœnitentiam adhortetur: Si igitur veram & seriam pœnitentiam deprehendit, dum demum ad confessionem eum admittat, & absolutionem à peccatis ejus ei impertiatur. Si vero persistiter in impœnitentia, ministri est, rem deferre ad Superintendentem, vel ad Consistorium, & hujus decisionem expectare.

§. 4. Præ-